

mo, dum censetur parvifacere viri demortui memoriam, tum etiam quia Ecclesia compatitur mulieris fragilitati, mestitiae, & dolori.

11 Ex quibus facile solvuntur, quae primo in contrario notantur, nam ista consuetudo non est contraria legi Divinae, quae sit Juris naturalis Divini, de re intrinsece mala, sed vel contra praecipuum positivum Ecclesiae, quod non obligat cum tanto incommodo, vel interpretativa praecipui, vel Pontifice sciente, & tollerante firmata; Iuxta autem Ecclesiastica dicitur divina, ad differentiam legum civilium, quae de secularibus, & temporalibus disponunt, Ecclesiastica vero de sacris, & ad Deum ordinatis, ad *tex. in c. 1. de Juram. Calu.* ibi nos itaque Divinae, & humanae leges, & *c. Accusationes 3. q. 5.*, quod lex de sabbato sanctificando sit divina, concedimus, at modus sanctificandi audiendo missam, non est de Jure divino, sed Ecclesiastico, *Fermosm. in c. translato de constit. q. 1.*, & 3.

12 Quod autem afferebatur de S. Elisabetha Regina Portugaliae, actum quidem heroicæ virtutis fatemur, laudamus, & admiramur, sed superans mulierum universalem infirmitatem, cui Ecclesia compatitur, eo modo quo laudatur tamquam actus magnæ virtutis, si Virgo potius martirium subeat, quam matrimonium contrahat, at non per hoc damnantur Virgines, quae imbeciliores contrahunt matrimonium, *Paul. ad Corinth. c. 7.*, ibi, & si nupserit Virgo non peccavit.

13 D. Apostolus Paulus scribens ad Timotheum epistolae 1. c. 5., multam diligentiam requirit à Vidua in regimine domus cui praestit, ibi *Viduas honora, quae verè viduae sunt, si qua autem Vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuum vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo, quae autem verè vidua est, & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die, si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam*

*non habet fidem negavit, & est infideli deterior, ex quibus aliisque in ea epistola de Vidua recensitis patet, quod si Vidua curam Domus, & familiae negligat culpam committat, nec debet parentes negligere, à quibus tot laboribus enutrita, tot curis educata fuit, & ad hoc dicit Paulus dicto c. 5., mutuum vicem reddere parentibus, eis inserviando, si vivant, mortuos verò religioso suffragio obsequendo; Neque debet orationis studium, & frequentiam negligere dicente Paulo. Quae autem Vidua est, & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus, & petitionibus nocte ac die, ad quod D. Ambrosius de Anna Vidua prophetissa, de qua Lucae c. 2., ait, Cujus diversorium erat in templo, colloquium in praesepe, Vita in Jejunio; Quod etiam Caesares disertis verbis editis legibus insinuarunt, dum praecipunt partus apud Viduas alienos sine ulla suspitione, alias si suspitio sit, quod mater Vidua ita filiarum potissimum curam negligant, ut periculum dignosci possit honestatis in eis, apud alios tutiori curae esse committendas, *tex. est in l. 1. ff. ubi pupillus educari debeat, ibi Imperator Severus rescripsit, Praetorem aestimare, debere praesentibus ceteris propinquis, liberorum, id enim agere praetorem oportet, ut sine ulla magna suspitione alatur partus, & educetur, similemque, *tex. habemus in l. 1. C. Ubi pupill. ed. deb.*, ideoque, si mater Vidua transeat ad secunda vota, sicque suspecta fiat, ut amore novi mariti illecta, filiorum primi Viri curam negligat, Praetoris Judicio committitur, cui cura eorum sit commendanda, *Surd. de aliment. tit. 4. q. 13. num. 21. 22. 23.***

14 Non negligat Vidua se ipsam custodire, id est mores, & actiones, quia cum Vidua noverit sua, & aliena vitia, nisi caute, & diligentius se custodiat, facile à recto declinabit, & difficilius dirigetur, ut afferendo discrimen in hoc inter Virginem, & Viduam scripsit Tiraqueus de legibus Conubial. in l. 6. glos. 1. num. 3.



De Negligentia Universitatis, seu Communitatis.

SUMMARIUM.

- 1 Quod Communiter possidetur, communiter negligitur.
- 2 Communitas est persona ficta, & Idealis consistens in aggregato plurium Individuorum collectivè sumptorum.
- 3 Universitas, Communitas, Collegium, Societas, sunt veluti Synonima ad effectum de quo, in Casu negligentiae.
- 4 Videtur in Universitate non posse cadere culpam, aut dolum, neque est subiectum capax Censurae.
- 5 Universitas potest delinquere in committendo, ut imponendo gabellas iniustas, & tunc requiritur, quod major pars concurrat, & consilio inito, & consensu.
- 6 Potest etiam delinquere in omittendo, quae tenetur facere.
- 7 Omisso Universitatis potest habere tractum successuum.
- 8 Quandoque delictum tam in committendo, quam in omittendo, non imputatur Universitati, sed singularibus, puta officialibus, ut si excedant fines mandati.
- 9 Officiales Communitatis, qui propter impostam gabellam iniustam incurrerunt excommunicationem, perseverant in excommunicatione etiam finito officio, si neglexerunt emendare delictum; & successores incurrunt eandem, si infra mensem non emendarunt.
- 10 Limita si aliqua competeret excusatio.

ARTICULUS XXXI.

De Negligentia Universitatis, seu Communitatis.

HX quo Philosophus 2. Politicorum c. 2. posuit, quod quae Communia sunt negligentius curantur, & solet dici, quod communiter possidetur, communiter negligitur, ad quod facit *tex. in l. meminimus C. quando, & quibus quarta pars debet lib. 10.*, quia cum nullus possit dicere, hoc est meum; ideo nullus curat tamquam alienum; Quae propter de hac neglecta cura rerum Universitatis placuit inquirere, ut pateat, quis de ea culpetur.

2 Pro cujus investigatione, noto, quod Universitas, seu Communitas est persona ficta, & idealis, ad tradita per *Barbosam tract. de appellativa verborum appellat. 189.*, & in *Authent. item quaecumque Communitas, ubi distinguitur Communitas à Persona, C. de Episcopis, & Clericis, Felin. in c. eam te num. 14. vers. secunda declaratio, & num. 15.*, vers. *Queritur an statutum de rescriptis, Fagnan in c. ex parte de Officio Vic. num. 14.*

ideoque non reperitur in Mundo nisi fundamentaliter, ut dicunt plures Philosophi, & ita intelligitur *Gabriel. lib. 6. tit.*, quod cuiusque Universitatis nomine *Concl. 1.*, & consistit in aggregato plurium Individuorum, ad tradita per *Oldrad. Consil. 315.*, *Roman Consil. 40. num. 9.*, quorum operationes attribuntur Universitati, si eo nomine agant, seu tamquam Ministri, & Officiales Communitatis operentur ea scilicet, quae non singulos, sed communiter Cives respiciunt, & in hoc sensu intelliguntur ea, quae *toto tit. ff. quod cuiusque Universitatis nomine per Juris Consultum, apponuntur, Paris Consil. 91. num. 11. lib. 4.* unde Universitatis nomine intelliguntur homines collectivè sumpti, & acta Universitatis dicuntur, quae agunt praedicti homines prout collectivè sumpti, *Gabriel. d. concl. 1. num. 4.*, & legitimè congregati, *Cagnol. in l. 121. §. Refertur ad universos n. 5. ff. de reg. Jur.*, ita negligere dicitur Universitas

veritas quando omisit ea, quæ tenentur, idest, quæ tenentur facere homines, sic collectivè Sumpti, & ea quæ ad eos sic collectivè Sumptos spectant, & prout latius explicat *Loſeus de Iure Universitatis p. 1. c. 1. ubi n. 9.*, quod licet Universitas sit Nomen Iuris applicatum Personæ animo, & intellectu carenti, tamen legitime congregata, & convocata vicem Personæ sustinet fictione quadam, & representatione per Rectores, & Administratores ipsius Universitatis *l. Moruo ff. de fidejuss.*; vel dicas cum *Baldo loco allegato à Loſeo supra num. 10.* quod Universitas Sumpta in abstracto non est Persona, neque animatum Corpus, sed est quoddam Corpus intellectuale, & quoddam Nomen Iuris habens representationem quamdam, Sumpta vero in Concreto est nomen personarum illam Componentium, prout componentium illam, idest cum quodam respectu sub quo conjunguntur, & sub tali conjunctione dicitur Universitas.

3 Noto pariter quod Nomina, Universitas, Communitas, Collegium, Societas, sunt quasi Synonima saltem ad effectum de quo agimus, & eandem hominum collectionem important ad tradita per *Io. Monachum, & Io. Andream in c. Romana de Sententia excomm. in 6.*

4 De hac ergo Universitate prout importat singulares Personas illam componentes, collectivè sumptas, nunc quærimus, utrum possit incidere in culpam negligentiam, & videretur dicendum, non posse, quia requiritur dolus, aut culpa, quæ non potest cadere in Universitate, quæ caret Corpore, & Anima reali; Argumentum *l. sed ex dolo §. Sed an in Municipibus ff. de dolo; Carenius præctica Criminal. §. Circa sub num. 347. Vers. circa primum; Zabarella in Clem. 1. de penis in V. Civitas, ubi ex Anchbaran. num. 16.*, & dicitur solum Corpus, & animam habere fictione *Iuris c. Romana §. in Universitate de sent. excomm. in 6.*, ubi quod non est ferenda excomm. contra Universitatem, quia hæc non est capax Censuræ, nisi in singularibus eam componentibus, inter quos semper plures sunt innocentes, qui non merentur sine culpa tanta pœna puniri, ut latius exaggerat *D. Augustinus relatus in c. si babes 24. qu. 3.*, & delictum Universitatis non damnaret singulos Cives, tum quia licet singuli, seu Omnes Cives concurrerent in aliquo patrandi delicto, ex quadam populari

Commotione, tamen nec Universitas dicitur deliquisse, nisi omnes concurrerent communicato Consilio, ad tradita per *Felin in c. Dilectus 1. l. 2. n. 6. de Simonia, Carer. præct. Criminal. §. circa sub n. 348.*, *Loſeus de Universitate p. 4. c. 1. nu. 14. Mascard. de probat. conclus. 1420. nu. 1.*, ideo Universitas non potest reperiri vera negligentia, sed tantum ficta ad allegata per *Gratian. discept. for. cap. 158. sub n. 30.*

5 Verùm Universitas potest delinquere in committendo, seu faciendo actu positivo, ut imponendo collectas injustas, Statuta edendo contra libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, *rex. in Auth. item quæcumque Communitas C. de Episcopis, & Cleric.*, nam condere Statuta, imponere collectas non est Ius singularium de Communitate, sed ejusdem Communis, & Universitatis prout collectionem importat, sed potest etiam Universitas delinquere in Omittendo, quod negligentiam importat, nam Universitas multoties tenetur aliquid facere, quod si Omittat, tunc delinquit, & negligens dicitur *argum. tex. in l. Iubemus C. de Sacrosanct. Eccl. Loſeus supra p. 4. c. 1. sub nu. 11.* ideo *Farinac. q. 51. nu. 51. & 52.* tunc dicit Universitatem delinquere in Omittendo, si non obviat delicto committendo in suis officialibus, & Ministros, quia eos tenetur defendere *Capicinus. decis. 130. n. 69.*; *Carenius Præctica §. Circa sub n. 348.* ubi *vers. limita tamen* tribus modis, & primo quod facilius Universitas delinquit in Omittendo, quam in committendo; nam in hoc non sufficit concursus majoris partis, sed insuper quod delinquat in toto, & prævio consilio; si delictum non habeat tractum Successuum *Loſeus d. c. 1. num. 17. 18. 19.*, at in Omittendo, non requiritur hoc prævium consilium, *Mascard. dicta conclus. 1420. n. 20.*

7 Licet quandoque delictum in Omittendo habeat tractum successuum, ut non punire delinquentes, non eicere rebelles, dum possint, quia licet videatur defectus officialium, tamen cum perduret per multum tempus, & Universitas sileat, hæc omissio Universitas ex negligentia imputatur, quia tacite censetur consentire, & ratificare ut per *Card. in Clem. 1. in V. Civitas, & ibid. Anchbaran. à nu. 16. usque ad 19. de penis Loſeus d. c. 1. sub nu. 25. V. aliud prætere a signum, & nu. 26. Mascard. conclus. 1420. nu. 16.* ubi *num. 21.*, bene limitatur si Universitas possit obviare delicto, quia si non possit, vel quia delictum fuit momentaneum,

neum, & non potuit prævideri, ut ex subito homicidio commisso contra Officialem, sic etiam si Reus ita evasit, ut non potuerit capi, tunc Universitas non est negligens, nec ulla culpa potest ei imputari, ex reg. generalis dicta de negligentia in Communi, quod non dicitur negligens, qui non potest operari.

8 Observandum tamen est, quod Ministri, & Officiales Communis multoties delinquant tam in Committendo, quam in Omittendo, quod delictum non imputatur Communitati, seu Universitati, ex toto Populo, sed ipsis tantum Officialibus, licet nomine publico, & Iurisdictione Universitatis delinquant, & est quando nec expressus, nec tacitus Consensus Universitatis concurrat; nam in Mandato; seu Commissione generali facta Officiali non comprehenditur Commissio ad delinquendum ad tradita per *Loſeam d. tract. de Iure Universitatis p. 4. c. 1. nu. 15. Mascard. conclus. 1420. num. 9.* unde dum delinquant excedunt vires Mandati, & abutuntur Iurisdictione, ideo si contingat, quod pro delicto commisso sit imposita excommunicatio, ea incurritur ab Officiali delinquente, ut est Casus in *Clement. 1. de penis §. Civitas autem, & §. potestas vero*, ibique *Card. Zabarella, & Anchbaran. & in c. Adversus de Immunit. Eccles.*, ubi in *§. ceterum Officiales*, qui imposuerant tales collectas &c. declarantur excommunicati; non solum pro tempore quo durant in Officio in pœnam negligentiam quatenus non emendaverint delictum, dum erant in Officio, & Successores in eodem Officio si infra Mensem non emendaverint delictum à Præcessore commissum, sed negligenter huiusmodi emendationem non retractantes impositam collectam, vel non restituere facientes injustè exacta, post Mensem eandem, & ipsi excommunicationem incurunt, redditque rationem *tex. in fine* quia scilicet succedit in onere qui substituitur in honore; sicque Successor dicitur particeps in delicto *Coccin. decis. 2280. num. 11. & 12.*, quod

cum distinctione intelligendum scilicet si Successores sint etiam hæredes eorum ad quorum utilitatem exactæ sint collectæ tenentur ex bonis propriis satisfacere, & restituere injustè exacta; Si vero non sint hæredes, sed tantum Successores in Officio, tenentur curare, ut ii ad quorum manus pervenerunt exacta restituant, vel sit ipsa Communitas, puta quia in Communi Erario reposita sunt, in defectu vero tenentur ipsi Officiales quatenus negligentes sint in curando satisfactionem ad tradita per *Barbosam in d. c. Adversus sub nu. 5. de Immunit. Eccles.* post *Suarez de Censuris d. 21. sect. 2. nu. 10. Filiuc. tract. 16. c. 11. q. 2. num. 299. Alterius de Censuris lib. 5. dist. 19. cap. 51. col. 3. Duard. ad Bullam cœnæ Can. 18. q. 19.*

10 Limitatur autem prædicta de negligentia Universitatis, quod scilicet omissio in ea sit culpabilis, & delictum, quando poterit facere, id quod omisit sine gravi incommodo, & taliter, ut nulla ei legitima competat excusatio, ut diximus de negligentia in Communi; Hinc est, quod si non potuit impedire delictum, eo quia momentaneum, nec potuit prævideri, tunc non est negligens, ut de subita, & insperata interfectione Officialis, vel de Incendio facto contra omnium Prudentum Opinionem, vel quia non retinuit Banitos, aut Delinquentes, qui statim patrato homicidio, Incendio, Irruptione &c. se in alienum Territorium receperunt, vel quia delictum factum fuit dum omnes, vel major pars Populi erant in Ecclesia, vel quia de Nocte contigit, dum omnes erant somno gravati, vel quia est suspicio rationalis, quod Sicarii in multo numero sint in insidiis expectantes accurrentes de populo, ut eos obruncent ad tradita per *Bertazol. consil. crim. 45. lib. 1. Mascard. d. conclus. 1420. n. 21.*, ubi ad finem, quod Universitas non tueretur iis excusationibus, si tenebatur continuas Custodias, & Vigiliis manuteneri, & neglexit, quia hæc Negligentia facit innexcusabilem.